

que liberatus, debellatis plurimis gentibus, terram etiam promissionis accepit, in qua regnavit per reges suos de tribu Juda exortos<sup>1</sup>. Qui Judas unus fuit ex duodecim filiis Israël nepotis Abrahæ; atque inde Judæi cognominati, multa ipso Deo adjuvante fecerunt, multa pro peccatis suis ipso flagellante perpassi sunt, donec veniret semen cui promissum est, in quo benedicerentur omnes gentes, et patrum suorum simulacra sponte confringerent.

CAPUT XXVI.

*Idolatria per Christi nomen et Christianorum fidem juxta prophetias eversa.*

XL. NEQUE enim temporibus christianis, sed tanto ante prædictum est, quod per Christianos impletur. Ipsi Judæi qui remanserunt inimici nominis Christi, de quorum etiam futura perfidia in illis prophetis Litteris tacitum non est, ipsi habent et legunt Prophetam dicentem: « Domine Deus meus et refugium meum in die malorum, » ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent: Vere » mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est » in illis utilitas<sup>2</sup>. » Ecce nunc fit, ecce nunc gentes ab extremo terræ veniunt ad Christum ista dicentes, et simulacra frangentes. Et hoc enim magnum est, quod Deus præstitit Ecclesiæ suæ ubique diffusæ, ut gens Judæa merito debellata et dispersa per terras; ne a nobis hæc composita putarentur, codices prophetiarum nostrarum ubique portaret et inimica fidei nostræ, testis fieret veritatis nostræ. Quomodo ergo Discipuli Christi docue-

<sup>1</sup> Exod. 1, 7, etc. — <sup>2</sup> Jerem. vi, 19.

runt quod a Christo non didicerunt, sicut stulti desipiendo jactitant, ut deorum gentilium et simulacrorum superstitio deleteretur? Numquid et illas prophetias quæ nunc leguntur in codicibus inimicorum Christi, possunt dici finxisse Discipuli Christi?

XLI. Quis enim hæc evertit, nisi Deus Israël? Ipsi enim populo dictum est per divinas voces factas ad Moysen: « Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est<sup>1</sup>. Non » facies tibi idolum, neque cujusquam similitudinem, » neque in cælo sursum, neque in terra deorsum<sup>2</sup>. » Ut autem etiam evertat ista, ubi potestatem acceperit, sic ei præcipitur. « Non adorabis deos illorum, sed neque ser- » vies eis: non facies secundum opera ipsorum, sed de- » ponendo depones, et confringendo confringes simula- » cra eorum<sup>3</sup>. » Quis autem dicat Christum atque Christianos non pertinere ad Israël, cum Israël nepos fuerit Abrahæ; cui primo, et deinde Isaac filio ejus, et deinde ipsi Israël nepoti ejus dictum est, quod jam commemoravi: « In semine tuo benedicentur omnes gen- » tes<sup>4</sup>? » Quod fieri jam videmus in Christo, cum inde exorta sit illa Virgo, de qua Propheta populi Israël et Dei Israël cecinit, dicens: « Ecce virgo concipiet et pariet » filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel. Interpre- » tatur autem Emmanuel, Nobiscum Deus<sup>5</sup>. » Deus ergo Israël qui prohibuit alios deos coli, qui prohibuit idola fabricari, qui præcepit everti, qui per Prophetam prædixit gentes ab extremo terræ dicturas: « Vere mendacia » coluerunt patres nostri simulacra, in quibus non est » utilitas<sup>6</sup>: » ipse per Christi nomen et Christianorum fidem istarum omnium superstitionum eversionem jussit,

<sup>1</sup> Deut. vi, 4. — <sup>2</sup> Exod. xx, 4, et Deut. v, 8. — <sup>3</sup> Exod. xxxiii, 24. — <sup>4</sup> Gen. xxii, 18, xxvi, 4, et xxviii, 14. — <sup>5</sup> Isai. vii, 14, et Matth. i, 23. — <sup>6</sup> Jer. xvi, 19.

promisit, exhibuit. Frustra ergo miseri, quia blasphemare Christum etiam a diis suis, hoc est, a dæmonibus nomen Christi metuentibus prohibiti sunt, volunt ab eo doctrinam istam facere alienam, qua Christiani contra idola disputant, easque omnes falsas religiones ubi poterint eradicant.

## CAPUT XXVII.

*Urget idololatrarum reliquias, ut demum serviant vero Deo idola ubique subvertenti.*

XLII. DE Deo Israël respondeant, quem docere ista et jubere, non tantum Christianorum, sed et Judæorum libri testantur: de ipso consulant deos suos, qui Christum blasphemari prohibuerunt: de Deo Israël, si audent, aliqua contumeliosa respondeant. Sed quos consulant, aut ubi jam consulant? libros suorum legant. Si Deum Israël Jovem putant, sicut Varro scripsit, (ut interim secundum eorum opinionem loquar,) cur ergo Jovi non credunt idola esse delenda? Si Saturnum putant, cur eum non colunt? Aut cur non sic colunt, quemadmodum se coli per eos vates præcepit, per quos ea quæ prædixit, implevit? Cur ei non credunt simulacra evertenda esse, et alios deos colendos non esse? Si nec Jovis, nec Saturnus est: (quia si unus eorum esset, contra sacra Jovis et Saturni eorum tanta non diceret:) quis ergo est, qui propter deos alios solus ab istis non colitur, et eversis diis aliis, tam evidenter efficit ut solus colatur, humiliata omni superba altitudine, quæ se adversus Christum exererat pro idolis persequens interficiensque Christia-

nos? Nunc certe quærunt ubi se abscondant, cum sacrificare volunt; vel ubi deos ipsos suos retrudant, ne a Christianis inveniantur atque frangantur. Unde hoc, nisi a timore legum atque regum, per quos Deus Israël suam exerit potestatem, jam subditos Christi nomini? sicut longe ante promisit, dicens per Prophetam: « Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi<sup>1</sup>. »

## CAPUT XXVIII.

*Prædicta idolorum rejectio.*

XLIII. NEMPE jam completur quod per Prophetam identidem canitur, quod remissurus esset impiam plebem suam, (non quidem totam, quia multi et ex Israëlitis crediderunt in Christum, nam inde erant et Apostoli ejus,) et humiliaturus omnem superbum atque injuriosum, ut ipse solus exaltaretur, id est, solus altus et potens hominibus manifestaretur: donec projicerentur a credentibus idola, et a non credentibus absconderentur; cum ejus timore terra confringitur, id est, terreni homines timore franguntur, timendo legem vel ipsius, vel eorum qui credentes in eum, gentibusque regnantes, talia sacrilegia prohiberent.

XLIV. Hæc enim, quæ ut facilius intelligerentur, breviter prælocutus sum, Propheta sic dicit: « Et nunc tu domus Jacob, venite, et ambulemus in luce Domini. » Remisit enim plebem suam domum Israël; quoniam » repleta est, sicut ab initio, regio eorum auguriis, sicut

<sup>1</sup> Psal. LXXI, II.

» alienigenarum, et filii multi alienigenæ nati sunt illis.  
 » Repleta est enim regio eorum argento et auro, nec erat  
 » numerus thesaurorum illorum. Et repleta est terra  
 » equis, nec erat numerus curruum illorum. Et repleta  
 » est terra abominationibus operum manuum ipsorum,  
 » et adoraverunt ea quæ fecerunt digiti eorum. Et in-  
 » clinavit se homo, et humiliavit se vir, et non remit-  
 » tam illis. Et nunc intrate in petras, et abscondite vos  
 » in terra a facie timoris Domini, et a majestate virtutis  
 » ejus, cum surrexerit confringere terram. Oculi enim  
 » Domini excelsi, homo autem humilis; et humiliabitur  
 » altitudo hominum, et exaltabitur Dominus solus in illa  
 » die. Dies enim Domini Sabaoth supra omnem injurio-  
 » sum et superbum, et supra omnem altum et humilia-  
 » tum qui humiliabuntur; et supra omnem cedrum Li-  
 » bani excelsorum et elatorum, et supra omnem arborem  
 » Libani Basan, et super omnem montem, et super om-  
 » nem collem altum, et super omnem navem maris, et  
 » super omne spectaculum navium decoris. Et humilia-  
 » bitur, et cadet contumelia hominum, et exaltabitur  
 » Dominus solus in illa die. Et manibus fabricata omnia  
 » abscondent in speluncis, et in scissuris petrarum, et in  
 » cavernis terræ a facie timoris Domini, et a majestate  
 » virtutis ejus, cum exurrexerit confringere terram. Illa  
 » enim die projiciet homo abominationes aureas et ar-  
 » genteas, quæ fecerunt ut adorarent supervacanea et  
 » noxia: ut intrent in foramina solidæ petræ, et in scis-  
 » suras petrarum, a facie timoris Domini, et a majestate  
 » virtutis ejus, cum exurrexerit comminuere terram<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Isaï. II, 5-21.

## CAPUT XXIX.

*Deum Israël quidni colant pagani, si eum vel præ-  
 positum elementorum esse opinantur.*

XLV. Quid dicunt de isto Deo Sabaoth, quod inter-  
 pretatur Deus virtutum vel exercituum; quia illi serviunt  
 Virtutes et exercitus Angelorum? Quid dicunt de isto Deo  
 Israël, quia Deus est illius populi, de quo venit semen,  
 in quo benedicerentur omnes gentes? Cur solum non co-  
 lunt, qui omnes deos colendos esse contendunt? Cur ei  
 non credunt, qui alios deos falsos et ostendit, et evertit?  
 Audivi quemdam eorum dicere, se legisse apud nescio  
 quem philosophum, quod ex iis quæ Judæi in suis sacra-  
 mentis agerent, intellexisset quem Deum colerent: Præ-  
 positum, inquit, istorum elementorum, quibus iste visi-  
 bilis et corporeus mundus extractus est: cum in Scripturis  
 sanctis Prophetarum ejus aperte ostendatur, illum Deum  
 colendum præceptum esse populo Israël, qui fecit cælum  
 et terram, et a quo est omnis vera sapientia. Sed quid  
 opus est hinc diutius disputare, cum ad id quod ago suf-  
 ficiat, quod illi qualibet præsumptione opinantur de illo  
 Deo, quem Deum esse negare non possunt? Si enim præ-  
 positus est elementorum, quibus mundus iste consistit,  
 cur non ipse potius colitur, quam Neptunus, qui solius  
 maris præpositus est? quam denique Sylvanus, qui solo-  
 rum agrorum atque sylvarum? quam Sol, qui solius diei,  
 vel etiam universi cœlestis caloris? quam Luna, quæ so-  
 lius noctis, vel etiam humoris potestate præfulget? quam

Juno, quæ solum aërem tenere perhibetur? Certe enim isti partium præpositi, quicumque sunt, necesse est ut sub illo sint, qui omnium elementorum et universæ hujus molis præposituram gerit. At iste illos omnes coli prohibet: cur ergo isti contra præceptum majoris illorum, non solum eos colere volunt, sed propter istos illum nolunt? Adhuc non inveniunt quid de isto Deo Israël constanter liquidoque pronuntient: nec unquam inveniunt, donec eum inveniunt Deum solum verum, a quo creata sunt omnia.

CAPUT XXX.

*Deus Israël impletis prophetiis jam ubique innotuit.*

XLVI. PROINDE quidam Lucanus magnus eorum in carmine declamator, credo et ipse diu quærens, sive per suas cogitationes, sive per suorum libros, quisnam esset Judæorum Deus; et quia non pie quærebat, non inveniens; maluit tamen incertum Deum quem non inveniabat, quam nullum Deum dicere, cujus tam magna documenta sentiebat. Ait enim:

Et dedita sacris

Incerti Judæa Dei<sup>1</sup>.

Et nondum Deus iste sanctus et verus Deus Israël, nondam per Christi nomen tanta in omnibus gentibus fecerat, quanta usque in hodiernum diem post Lucani temporâ consecuta sunt. Nunc vero quis tam durus non flectatur? quis tam torpidus non ignescat, cum

<sup>1</sup> Lucanus lib. II sub finem.

impletur quod scriptum est: « Quia non est qui se abscondat a calore ejus<sup>1</sup>? » quando jam clarissima luce manifestantur quæ in eodem Psalmo, unde versiculum istum commemoravi, tanto ante prædicta sunt? Cælorum enim nomine Apostoli Christi significati sunt, quod in eis Deus præsideret, ut Evangelium annuntiarent. « Jam ergo cæli enarraverunt gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiavit firmamentum. Dies diei eructavit verbum, et nox nocti annuntiavit scientiam. Jam non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Jam in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Jam in sole, hoc est, in manifestatione, posuit tabernaculum suum, quod est Ecclesia ipsius. » Quia, ut hoc faceret, ipse, sicut ibi sequitur: « Tanquam sponsus processit de thalamo suo, » id est, conjugatum Verbum carni humanæ processit de utero virginali. « Jam exultavit ut gigas, et cucurrit viam<sup>2</sup>. » Jam a summo cæli facta est egressio ejus, et recursus ejus usque ad summum cæli. Et ideo rectissime sequitur versus, quem paulo ante commemoravi: « Et non est qui se abscondat a calore ejus. » Et adhuc isti fragiles contradictiunculas garrientes eligunt isto igne, sicut stipula in cinerem verti quam sicut aurum a sorde purgari; cum et deorum fallorum jam fallacia monumenta frustrata sint, et illius incerti Dei veracia promissa certa jam facta sint.

<sup>1</sup> Psal. xviii, 7. — <sup>2</sup> Ibid. 2-7.

## CAPUT XXXI.

*Prophetia de Christo impleta.*

XLVII. DESINANT ergo dicere mali laudatores Christi, qui nolunt esse Christiani, quod Christus non docuerit deos eorum deseri, et simulacra confringi. Deus enim Israël, de quo prædictum est quod Deus universæ terræ vocabitur<sup>1</sup>, et Deus universæ terræ jam vocatur; hoc per Prophetas futurum prædixit, hoc per Christum congruo tempore implevit. Certe enim si jam Deus Israël, Deus universæ terræ vocatur, necesse est ut fiat quod jussit, quando qui jussit, innotuit. Quia vero per Christum et in Christo innotuit, ut Ecclesia ejus per orbem diffunderetur, et per ipsam Deus Israël universæ terræ vocaretur, paulo superius apud eundem Prophetam legant qui volunt: imo et a me commemoretur. Neque enim ita longum est, ut oporteat prætermitti. Dicuntur enim multa de præsentia et humilitate et passione Christi, et corpore ejus, cui caput est, id est, de Ecclesia ejus, cum appellatur tanquam sterilis quæ non pariebat<sup>2</sup>. Per multos enim annos Ecclesia, quæ futura erat in omnibus gentibus in filiis suis, hoc est, in sanctis suis, non apparuit, nondum Christo annuntiato per Evangelistas, eis quibus non est annuntiatum per Prophetas: et dicitur plures filios desertæ futuros, quam ejus quæ habet virum; cujus viri nomine significata est Lex vel Rex, quem accepit primus populus Israël, nec acceperant gentes Legem eo tempore, quo

<sup>1</sup> Isaï. LIV, 5. — <sup>2</sup> Ibid. I.

Propheta loquebatur; neque rex Christianorum apparuerat adhuc gentibus, ex quibus tamen gentibus longe fertilior et numerosior sanctorum multitudo provenit. Ita ergo dicit Isaïas, incipiens ab humilitate Christi, et se postea convertens ad alloquendam Ecclesiam usque ad eum versum quem commemoravimus, ubi ait: « Et qui » eruit te, ipse Deus Israël, universæ terræ vocabitur. » Ecce, inquit, in intellectu erit puer meus et exaltabitur, » et honorificabitur vehementer. Quomodo multi mirabuntur super te, sic tamen et inhonesta videbitur ab » omnibus species tua, et honor tuus ab hominibus. Ita » enim mirabuntur gentes multæ super eum, et continebunt reges os suum. Quoniam quibus non est nuntiatum de illo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent<sup>1</sup>. Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Nuntiavimus coram » illo, ut puer, ut radix in terra sitiens; non est species illi, neque honor. Et vidimus illum et non habuit » speciem neque decorem, sed vultus ejus abjectus et » deformis, positio ejus ab omnibus hominibus; homo » in plaga, et qui sciat ferre infirmitates, propter quod » et avertit se facies ejus, injuriata est, nec magni aestimata est. Hic infirmitates nostras portat, et pro nobis » in doloribus est. Et nos existimavimus illum in doloribus esse, et in plaga et in poena: Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ in eum, » livore ejus sanati sumus. Omnes ut oves erravimus, et » Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. Et ipse » quoniam male tractatus est, non aperuit os: ut ovis » ad immolandum ductus est, et ut agnus ante eum qui » se tonderet fuit sine voce, sic non aperuit os suum. In

<sup>1</sup> Isaï. I. II, 13-15.

» humilitate sublatum est iudicium ejus. Generationem  
 » ejus quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita  
 » ejus : ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mor-  
 » tem. Dabo ergo malos propter sepulturam ejus et divi-  
 » tes propter mortem ejus ; ob hoc quod iniquitatem non  
 » fecerit, nec dolum in ore suo. Dominus vult purgare  
 » illum de plaga. Si dederitis vos ob delicta vestra ani-  
 » mam vestram, videbitis semen longissimæ vitæ. Et vult  
 » Dominus auferre a doloribus animam ejus, ostendere  
 » illi lucem, et figurare per sensum, justificare justum  
 » bene servientem pluribus, et peccata illorum ipse sus-  
 » tinebit. Propterea ipse hæreditabit complures, et for-  
 » tium partietur spolia. Propter quod tradita est ad mor-  
 » tem anima ejus, et inter iniquos æstimata est : et ipse  
 » peccata multorum sustinuit, et propter iniquitates eo-  
 » rum traditus est<sup>1</sup>. Delectare sterilis quæ non paris ;  
 » exulta et clama quæ non parturis ; quia multi filii de-  
 » sertæ magis, quam ejus quæ habet virum. Dixit enim  
 » Dominus : Dilata locum tabernaculi tui, et aulas tuas  
 » confige, non est quod parcas : porrige longius funicu-  
 » los, et palos validos constitue. Etiam atque etiam in  
 » dexteram atque sinistram partem extende. Semen enim  
 » tuum hæreditabit gentes, et civitates quæ desertæ  
 » erant, inhabitabis : non est quod metuas. Prævalebis  
 » enim, nec erubescas quod detestabilis fueris. Confu-  
 » sionem enim in perpetuum oblivisceris, ignominia vi-  
 » duitatis tuæ non eris memor : quoniam ego Dominus  
 » qui facio te, Dominus nomen ei : et qui eruit te, ipse  
 » Deus Israël, universæ terræ vocabitur<sup>2</sup>. »

XLVIII. Quid contra hanc evidentiam expressionem-  
 que rerum et prædictarum et impletarum dici potest? Si  
 de Christi divinitate Discipulos ejus putant esse mentitos,

<sup>1</sup> Isai. LIII, 1-11. — <sup>2</sup> Ibid. LIV, 1-5.

numquid de Christi passione dubitabunt? Resurrexisse  
 non solent credere : at illa omnia ab hominibus humana  
 perpessum etiam libenter credunt, quia hominem tan-  
 tummodo credi volunt. Ille itaque sicut ovis ad immolan-  
 dum ductus, ille inter iniquos deputatus, ille vulneratus  
 propter peccata nostra<sup>1</sup> : cujus livore sanati sumus, cujus  
 facies injuriata est, nec magni æstimata, palmis cæsa, et  
 et sputis illita, cujus deformis in cruce positio : ille ab  
 iniquitatibus populi Israël ductus ad mortem<sup>2</sup> : ille qui  
 non habebat speciem neque decorem, quando colaphis  
 percutiebatur<sup>3</sup>, quando spinis coronabatur, quando pen-  
 dens irridebatur : ille qui, sicut agnus coram tondente  
 non habet vocem, sic non aperuit os suum<sup>4</sup>, cum ei di-  
 ceretur ab insultantibus : « Prophetiza nobis, Christe<sup>5</sup> : »  
 nempe jam exaltatus est, jam honorificatus est vehemen-  
 ter. Nempe jam mirantur gentes multæ super eum. Jam  
 continuerunt reges os suum, quo adversus Christianos le-  
 ges sævissimas promulgabant. Nempe quibus non est nun-  
 tium de illo, jam vident, et qui non audierunt jam in-  
 telligunt<sup>6</sup>. Quoniam gentes quibus non annuntiaverunt  
 Prophetæ, magis ipsæ vident quam vera nuntiata sint per  
 Prophetas. Et qui non audierunt ipsum Isaiam loquen-  
 tem, jam in litteris ejus de quo ista sit locutus, intelli-  
 gunt. Nam et in ipsa gente Judæorum quis credidit auditui  
 Prophetarum, aut brachium Domini, quod est Christus  
 ipse, qui per eos annuntiabatur, cui revelatum est<sup>7</sup>?  
 quando manibus suis ea scelera in Christo admittebant,  
 quæ futura prædixerant Prophetæ quos habebant<sup>8</sup>?  
 Nempe jam hæreditate possidet multos, et fortium parti-  
 tur spolia, cum ea quæ diabolus et dæmones possidebant

<sup>1</sup> Marc. xv, 28. — <sup>2</sup> Luc. xii, 27. — <sup>3</sup> Matth. xxvi, 27. — <sup>4</sup> Joan.  
 xix, 2. — <sup>5</sup> Matth. xxvi, 68. — <sup>6</sup> Rom. xv, 1, 2. — <sup>7</sup> Joan. xii, 38. —  
<sup>8</sup> Rom. x, 16.

per ecclesiarum suarum fabricas, et quoslibet necessarios usus, illis expulsis proditisque distribuit.

CAPUT XXXII.

*Apostolorum contra idololatriam doctrina vindicatur ex prophetiis.*

XLIX. Quid ergo ad hæc dicunt perversi laudatores Christi, et Christianorum obtrectatores? Numquid ut ista per Prophetas tanto ante prædicerentur, Christus magicis artibus fecit; aut Discipuli ejus ista finxerunt? Numquid ut delectetur Ecclesia diffusa per gentes quondam sterilis, nunc in pluribus filiis, quam illa synagoga quæ Legem sive Regem tanquam virum acceperat: numquid ut sic dilatet locum tabernaculi sui omnes nationes et linguas occupans, ut longius quam Romani imperii jura tenduntur, usque in Persas et Indos aliasque barbaras gentes funiculos porrigat: ut in dexteram per veros Christianos, et in sinistram per fictos Christianos in tam multis populis nomen ejus extendatur: ut semen ejus hæreditet gentes, ut civitates quæ a vero Dei cultu et a vera religione desertæ fuerant, jam nunc inhabitet: ut non timerit hominum minas et furias, quando in sanguine Martyrum tanquam honore purpureo vestiebatur, ut prævaleret tam multis tamque vehementibus et potentibus persecutoribus suis: ut non erubesceret quod detestabilis fuerit, quando magnum erat crimen fieri vel esse Christianum: ut confusionem in perpetuum obliviscatur; « Quia ubi abundaverat peccatum, superabundavit gra-

» tia<sup>1</sup>: » ut ignominiae viduitatis suae memor non sit, quia paululum derelicta et opprobriis objecta, tam eminenti gloria reflorescit: numquid postremo ut Dominus qui fecit eam, et a dominatu diaboli et dæmonum eruit eam, ipse Deus Israël universae terrae jam vocetur, Discipuli Christi finxerunt, quod Prophetæ, quorum libri nunc in manibus inimicorum Christi habentur, tam longe antequam Christus filius hominis fieret, prædixerunt?

L. Hinc ergo intelligant, quod ne tardissimis quidem atque obtusissimis obscurum dubiumve relinquitur: hinc, inquam, intelligant Christi perversi laudatores et christianae religionis execratores, etiam Christi Discipulos contra deos eorum ea didicisse atque docuisse, quæ doctrina continet Christi: quia Deus Israël, qui hæc omnia quæ isti colere volunt, abominanda atque evertenda in libris Prophetarum præcepisse invenitur, ipse Deus universae terrae, sicut tanto ante promisit, per Christum et Christi Ecclesiam jam vocatur. Si enim Christum mira dementia suspicantur deos eorum coluisse, ac per hos eum tanta potuisse; numquid et Deus Israël deos eorum coluit, qui de se per omnes gentes colendo et de illis abominandis atque evertendis<sup>2</sup> per Christum quod promisit implevit? Ubi sunt dii eorum? ubi vaticinia fanaticorum, et divinationes pythorum? ubi auguria, vel auspicia, vel haruspicia, vel oracula dæmonum? Cur non profertur ex istiusmodi antiquis libris admonitum aliquid et prædictum contra christianam fidem, et contra Prophetarum nostrorum expressam jam in omnibus gentibus tam perspicuam veritatem? Offendimus, inquiunt, deos nostros, et deseruerunt nos: ideo adversus nos Christiani prævaluerunt, et humanarum rerum felicitas defessa ac deminuta dilabitur. Hoc sibi certe per Christianos fuisse eventu-

<sup>1</sup> Rom. v, 20. — <sup>2</sup> Deut. vii, 5.

rum, legant ex libris vatum suorum : sed ea legant, ubi si non Christus, quia eum deorum suorum volunt fuisse cultorem, saltem Deus Israël improbatus et detestatus sit, quem constat istorum eversorem. Sed nunquam hoc proferent, nisi quod modo forte confinxerint. Quod cum protulerint apparebit, eo ipso certe, quod tanta res tam ignota profertur, quæ utique debuit antequam hoc quod prædictum est, accidisset, in deorum templis omnium gentium recitari, ut præstruerentur et præmonerentur qui nunc volunt esse Christiani.

### CAPUT XXXIII.

*In eos qui rerum humanarum felicitatem per christiana tempora deminutam esse conqueruntur.*

LI. DEINDE quod de felicitatis rerum humanarum deminutione per christiana tempora conqueruntur, si libros philosophorum suorum legant, ea reprehendentium, quæ nunc eis etiam recusantibus et murmurantibus subtrahuntur, tum vero magnam laudem reperient temporum christianorum. Quid enim eis minuitur felicitatis, nisi quod pessime luxurioseque abutebantur, in magnam Creatoris injuriam? Nisi forte hinc sunt tempora mala, quia per omnes pene civitates cadunt theatra, caveæ turpitudinum et publicæ professiones flagitiorum; cadunt et fora vel mœnia, in quibus dæmonia colebantur. Unde enim cadunt, nisi inopia rerum, quarum lascivo et sacrilego usu constructa sunt? Nonne Cicero eorum cum Roscium quemdam laudaret histrionem, ita peritum dixit,

ut solus esset dignus, qui in scenam deberet intrare<sup>1</sup>; ita virum bonum, ut solus esset dignus, qui eo non deberet accedere? quid aliud apertissime ostendens, nisi illam scenam esse tam turpem, ut tanto minus ibi esse homo debeat, quanto fuerit magis vir bonus? et tamen dii eorum tali dedecore placabantur, quale a viris bonis removendum esse censebat. Est etiam hinc ejusdem ipsius Ciceronis aperta confessio, ubi ait, sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam<sup>2</sup>. In quibus ludis tanta exhiberi turpitude consuevit, ut in eorum comparatione cæteri honesti sint, a quibus tamen etiam ipsis agendis viri boni prohibentur. Quæ ista est Flora mater, qualis dea est, quam celebrior et habentis effusioribus laxata conciliat et propitiat turpitude? Quanto jam honestius in scenam Roscius intrabat, quam Cicero deam talem colebat? Si deminuta rerum copia, quæ in hæc celebranda funduntur, dii gentium offenduntur, apparet quales sint qui talibus delectantur. Si autem ipsi irati ista minuunt, utilius irascuntur, quam placantur. Quapropter aut philosophos suos arguant, qui talia in luxuriosis hominibus reprehenderunt, aut deos suos frangant, qui talia de suis cultoribus exegerunt: si tamen jam inveniunt, vel quos frangant, vel quos abscondant: Christianorum vero temporibus defectum rerum secundarum quibus in turpia et noxia defluebant, blasphemando imputare desistant, ne magis nos unde amplius Christi potestas laudetur, admoneant.

<sup>1</sup> Cic. Orat. pro Roscio. — <sup>2</sup> Id. in Verrem, act. 5.